Jam vero in obsequium funeris credi non potest quanta hominum multitudo convenerit. Tota obviam corpori civitas ruit. Cuncti ex agris atque villis multique etiam e vicinis urbibus affuerunt. O quantus luctus omnium. quanta precipue merentium lamenta monachorum: qui eo die fere ad duo milia convenisse dicuntur. Specialis Martini gloria: eius exemplo in domini servitute tot stirpes fructificaverat. Agebat nimirum ante se pastor extinctus greges suos sancte illius multitudinis pallidas turbas agmina palliata: Et aut emeritorum laborum senes aut iuratos sacramenta tirones. Tum virginum chorus fletu abstinens pre pudore: cum letando potius illa esse gauderet. quem ideo suo dominus gremio confoveret. quam sancto dissimulabat gaudio quod dolebat. Siquidem fides flere prohiberet. gemitum extorqueret affectus. Et enim tam erat sancta de illius gloria exultacio quam pia de morte confusio. Ignosceres flentibus gratulareris gaudentibus: quia et pium est gaudere Martino et pium est flere Martinum: Dum unusquisque et sibi prestat ut doleat et illi debet ut gaudeat. Hoc igitur beati viri corpus usque ad locum sepulchri ymnis canora celestibus turba prosequitur. Comparetur si placet secularis illa pompa. non dicam funeris sed triumphi. Quid simile Martini exequiis conferetur. Ducant illi pre curribus suis vinctos post terga captivos. Martini corpus hi qui mundum ductu illius vicerant prosequuntur. Illos confusis plausibus populorum honoret insania. Martino divinis plauditur psalmis. Martinus ymnis celestibus honoratur. Illi post triumphos suos in tartara seva trudentur. Martinus Abrahe sinu letus excipitur. Martinus pauper et modicus celum dives ingreditur.

Explicit

Illinc nos ut spero custodiens me hec scribente respicit te legente